



~~GMI~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITTEBERG.  
W-51. —  
SIGNAT. cIɔIɔ CCCXIII.





VINDEX VINDI-  
CIARVM  
DOCTRINÆ ACATHO-  
LICÆ,

*Quas contra Libellum Germanicum, sub  
titulo,*

*Wunderselzante Abentheür/Wel-  
che ausß der Lutherischen Lehr erfolgen/  
evulgavit & disputationi propo-  
suit*

M. IOANNES GRACZA,  
Gymnasij Novisoliensis Director Luthe-  
ranus.

Dissertatio VI. & VII.

*Adiecta*

*f. III. p. 18*

A. P. MATTHIA FABRO,  
SOCIETATIS JESU.

*Permissu Superiorum Impressum,*

VIENNÆ AUSTRIÆ, Tvpis Matthæi Rictij,

Typographi Academici, Anno 1649.

VINDEK VINDI

CIARAM

DOCTRINAE AGATHO

LICÆ

Digitized by Google

M. IOANNES GRAZIA

Digitized by Google

M. IOANNES GRAZIA

Digitized by Google

Digitatio VI & VII

Digitized by Google


A. P. MATTHIA FABRO

SOCIETATIS IESU

Digitized by Google

VENIA AUSTRIA TABIZ MUSICA RIGID

Digitized by Google



NOBILI AC GENEROSO  
DOMINO  
**MARTINO VVEN-**  
**CESLAO STEIFFENEGGER,**  
**SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE MAIE.**

statis fodinarum mineralium in Camera Cremoniciensi &  
Schemniciensi Directori, &c.  
*Domino suo multum observando.*



Arvo in libello magna Paradoxa doctrinæ Acatholicæ non ita pridem, Nobilis & Generose Domine, Lectori proposuimus. In his inter alia Ecclesiam Christi quærimus. Quid magis paradoxum? Solem in meridie quærimus: Ecclesiam, inquam, illam, quæ ab Architecto mundi in Petrâ solidata, famâ & splendore suo totum pervasit Orbem. Hanc vel ipso sole magis conspicuam, à nescio quot sæculis, Lutherum antegressis, seu extinctam seu deperditam vociferantur Lutherani: non aliam ob causam, nisi quia suam per multa illa tempora nusquam inveniunt. Ergo à Luthero suo tandem repertam, & quæ in profundis tenebris diu sepulta fuerit, in lucem protractam, ac nitori suo postliminiò restitutam volunt.

Verùm hanc doctrinam prorsus admirabilem & antehac in auditam meritò cordati viri persuadere sibi nolunt. Neq; enim inducere in animū possunt, ut credant, tam præclaram Dei struturam, & alteram quasi Noë Arcam, quæ omni hominum generi ad salutem parata est, aut interire potuisse aut demergi;

nisi amator hominum, Deus viam cæli, quam patere omnibus  
voluit, rursum præcludere omnibus voluisse. Quid igitur hīc  
consilij? Quandoquidem Acatholici veram Christi Ecclesiam  
præteritis illis sæculis in terræ superficie nusquam apparuisse  
contendunt, aliud non supereft, nisi ut infra terram investige-  
mus, quod perdidimus; Cumq; Generosa Dnº. Vesta in fos-  
sores illos, qui ima terræ viscera, auri captandi gratiâ, susq; deq;  
rimantur, Cæsareâ Regiâq; auctoritate teneat imperium, ejus  
mihi opem implorandam esse censui, ut in Acatholicorum gra-  
tiam & favorem, suum illum Talparum gregem in subterraneas  
specus quaquaversum evagari patiatur, ad indagandam illam  
Ecclesiam, per tot annorum curricula, ut ajunt, defossam. Ma-  
gnum absq; dubio miseris illis afferet tripudium, sicubi reper-  
tum fuerit, quòd tamdiu latuit ante Lutheri ortum, ipsorum  
Evangelium.


Nos interea, dum responsum à Plutone præstolamur po-  
tiūs, quām speramus, in Petrâ illâ, cui Ecclesiam Christi inædi-  
ficatam, perq; omnia sæcula toto quaquaversum orbe conspi-  
cuam fuisse novimus, fixo pede stabimus. In quâ cùm inter a-  
lios Dominatio Vesta Generosa clarissimo exemplo fortiter  
confistat & *sicut lucerna in caliginoso loco* splendeat, precor.  
Deum Opt. Max. ut eandem in militante sua Ecclesiâ diutissimè  
conservet, ac postremò in triumphantem illam felicissimè per-  
ducat. Novisoli, die 10. Aug: Reparatæ salutis Año 1649.

*Nobilis & Generosæ Dom: Vestræ*

*Servus in Christo,*

Matthias Faber, è Socie-  
tate J E S U.

DISSE



# DISSE

## RAT

## TAT

## O S

## EX

## TA

De  
VISIBILITATE ECCLESIAE.



Dversarij nostri, è Lutheri abdomine nati, plus quam Lynceos habent oculos: vident Christi Ecclesiam, tametsi, ut ajunt, invisibilem, seu oculis humanis subducitam; quò nimirum tueantur sectam suam, ante Lutheri infælicem exortum, nemini unquam visam vel auditam.

Jam dudum ostendit Bellarminus noster compluribus solidisq; rationibus, Ecclesiam non appellari nisi visibilem cœtum seu congregationem fidelium: Noster tamen Gracza præter illam reperit aliam invisibilem, quæ à priore quidem alia non sit, sed diverso respectu visibilis & invisibilis; & rursum alio & alio respectu invisibilis: *in primis respectu formæ essentialis & internæ, quæ consistat in unione spirituali cum Christo capite & reliquis membris: quâ ratione Ecclesiam veram, Sanctam, Catholicam semper invisibilem asserit, etiam quando lux Evangeli longè lateq; clarissime splendet. Tamen quia ob creberrimum hypocriseos vitium, quoad infallibilem demonstrationem individuorum dici nequit, quisnam & quotusquisq; profitentium in tali cœtu orthodoxam fidem verè cum Christo & reliquis membris unitus sit nec ne, ideo appellari Ecclesiam invisibilem.*

II. Respectu formæ & professionis externæ, quæ consistat in publico religionis exercitio, verbum DEI rectè prædicandi, Sacra menta juxta Christi institutionem administrandi, &c. impedito tamen ob hostium Ecclesiae savitiam, templorum quoq; & Scholarum per errores publicè sparsos & à plurimis receptos inquisitionem, ita ut non possit membris Ecclesia notoria & evidens fieri; quando etiam impossibile est omnes & singulos orthodoxos simul à quoquam videri; inde dictam Ecclesiam invisibilem, non quasi absolute negetur potentia passiva, quod prorsus videri non possit, sed comparatè, sicut stellæ, arena & guttæ maris dicuntur innumerabiles. Ita temporibus Eliæ impeditam fuisse professionem externam orthodoxæ fidei. Tametsi enim Deus reliquerit sibi 7000. in Israël eorum, qui ab Idololatria immunes Iehovæ adhæserunt, eos tamen Eliæ ob defectum externæ professionis à qualitate internâ perspectos non fuisse: sicq; cœtum verè fidelium tum temporis existentium

tum ipsi fuisse incognitum & invisibilem. Et hoc modo afferit Ecclesiam Evangelicam sub Papatu maximam regnantem partem factam invisibilem. Tantæ modis est mendacium fuso tegere.

Verum non decipiet nos Gracza, neq; invisibilem Ecclesiam vñquam extundet sive ex uno sive ex altero respectu. Non ex priore; Eorum enim, qui vñione spirituali Christo & reliquis membris conjuncti sunt, numerus, soli D E O cognitus, non constituit Ecclesiam, neque eo nomine vñquam venit in Scripturis; cùm Ecclesia sit cœtus hominum, ejusdem Christianæ professione fidei, eorundemq; Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorū pastorum, summi præsertim Pontificis: continens non solum bonos, sed etiam peccatores, imperfectos, non prædestinatos aliquos &c. Non ex posteriore, nunquam enim publicum religionis exercitium ita impediri potest, ut Ecclesia videri & agnosci nequeat; cùm id ejus promissioni de perpetuâ stabilitate à Christo factæ repugnet. Illi namq; Ecclesiæ promisit Christus invictam soliditatem, quam ipse struxit: Struxit autem visibilem, non invisibilem Ecclesiam. Itaq; visibili promisit eam firmitatem.

Nec verum est, quod ait Gracza cœtum verè fidelium sub Elia factum invisibilem. Tametsi enim Eliæ velut Eremitæ, procul ab hominum consortio degenti, pauci veri Dei cultores noti erant, noscebantur tamen ab alijs, & quidem non pauci. Septem millia eorum fuisse in solo Israël testatur Deus. 3. Reg. 19. quibus adde præter Eliam, Elisæum etiam, Michæam, Abdiam, & quos ipse abscondit, ne occiderentur à Jezabele, centum Prophetas 3. Regum 18. v. 3. Alios quoq; de quibus 3. Reg. 20. v. 22. 28. 35. ac deniq; totum Regnum Juda, in quo adhuc florebat verus Dei cultus, sub Josaphat fidei pioq; Rege. Quod autem Elias queritur se solum esse relictum ex Prophetis, intelligit de ijs, qui se in Regno Israël publicè & intrepidè oppone-re auderent Baali & Jezabeli. Quare si non aliter Ecclesia Christi sub Papatu latuit, quām verus Dei cultus sub Jezabele, tempore Eliæ: quā ratione invisibilis tunc fuisse dicitur à Gracza? Sed jam videamus, quibus artibus Gracza effugere Paradoxa, quæ proposui conetur.

## Paradoxum Primum.

**P**rimum erat hoc: *Si Ecclesia ante Lutherum latuit nec ullibi terrarum conspicua fuit, nemo infidelis eo tempore media aut viam habuit ipsam ingrediendi: nemo hereticus se ipsi conjungendi: nemo fidelis verbum D E I & Sacra menta ab ipsa percipiendi.* Sequelam hanc, luce clariorem quasi illustratus in hanc formam Gracza redigit: *Quacunq; Ecclesia non est perpetuò, necessariò visibilis, & in paucis tantum, etiam ignotis fidelibus consistere potest, ad illam,*

illam, quam diu talis est, nullus infidelis media & viam accedendi & aeternam sa-  
lutem querendi habere potest, &c. Atqui Ecclesia Christi ex mente Lutherano-  
rum ante Lutherum tempore nimirum Papismi, abscondita & invisibi-  
lis fuit. E. ad eam tempore illo nullus infidelis media & viam accedendi &  
aeternam salutem querendi habere potuit, &c. Quasi vero hic syllogismus, ( qui  
medium terminum in majore aliter proponit, quam in minore contra artem  
dialecticam ) plus lucis habeat, quam meum Enthymema : Ecclesia secun-  
dum Lutheranos, sub Papismo ante Lutherum, invisa & abscondita fuit :  
Ergo nemo fidelis ei se aggregare potuit. Sed permittamus homini phanta-  
siam suam ; & audiamus quid responsi det... Ut laqueum effugiat, quatuor  
astus excogitat. Primum in varijs distinctionibus inter Ecclesiam vocatorum  
& Electorum ( illam visibilem, hanc invisibilem vocat ) inter accessum alium  
localem & externum, alium internum & spiritualem : nec non inter con-  
junctionem vel associationem externam, quae in extrinseca participatione sa-  
crorum Ecclesiasticorum, & aliam internam, quae in internâ vniione cum  
Christo & fidelibus consistat, ponit ; ac postremum, ubi multa de internâ &  
externâ nouovia garrivit, & sanctorum communionem cum communione,  
quae fit cum Ecclesia, confudit, respondet in hunc modum : *His ita positis con-  
cedo majorem de Ecclesia particulari & visibili : de accessu locali & externo : &  
de conjunctione sive consociatione externâ, adeoq; & conclusionem dicto modo intel-  
lectam ; sed nego de Ecclesia invisibili & Catholica : de accessu interno & spiritua-  
li, deq; conjunctione & consociatione internâ ; quia hac, ut dictum, non per visibi-  
litatem tantum & splendorem externum Ecclesiae haberi potest, sed cum primis per  
verbum Dei, sive scripturam sacram, Sacraenta, fidem & alia dona spirituata.*  
Sed quis hic non deprehendit hominis, sive inscitiam sive vafridiem ? Ma-  
jor Syllogismi erat : Quae Ecclesia ex mente Lutherorum ante Lutherum  
abscondita & invisibilis fuit : ad eam infideli pro eo tempore non patuit ac-  
cessus. Hanc distinguit Gracza, & concedit de Ecclesia visibili ; negat  
de invisibili ; quasi invisibilem Ecclesiam in Majore positam minimè vidisset.  
Pari stultitiâ Ecclesiam visibilem appellat particularem, invisibilem vero Ca-  
tholicam : cum Ecclesia Catholica alia non sit, nisi ea, quae toto orbe conspi-  
cua est, particularis vero quae in hac vel illâ parte orbis sita. Deniq; inani fig-  
mento partitur Ecclesiam in eam, quae est Vocationis, & eam, quae est Elec-  
torum, illam visibilem, hanc vocans invisibilem ; cum nullo Scripturæ loco,  
neque Veterum Patrum placito, numerus Electorum vocetur Ecclesia : solus  
fidelium cœtus visibilis eo nomine appelleatur : neque fieri queat ut Ecclesia  
Christi in terrâ sit invisibilis ; siquidem fidem profiteri ore & opere jubetur,  
ad Rom. 10. v. 10. & Matth. 10. v. 32. quod nisi fecerit, Ecclesia Christi  
non est,

Jam



Jam si quæras, quidnam sibi velit Gracæ responsio ad Majorem illam propositi Syllogismi, si rectè ejus mentem, ex ijs, quæ obscurissimè blaterat, & subjungit, assèquor, illud est: ad Ecclesiam perveniri posse non per visibilitatem tantùm & splendorem ipsius externum, sed per auctoritatem etiam Scripturarū; quod probat ab experientiâ & praxi Apostolica, concione Petri è scripturis depromptâ, catechesi Philippi ad Eunuchum habitâ: deniq; ex auctoritate S. Augustini de vnit. Ecclesiæ c. 5. Sed miser in primis extra chorū saltat; dum ab Ecclesia, quam inquirimus, resilit ad medium, quo investiganda est; de quo non laboramus; id vnum verò vrgemus, Ecclesiam quæ inquiritur, visibilem esse debere; alioquin frustâ inquiri. Deinde non advertit infideles illos Iudæos à Petro, & Evnuchum à Philippo (qui vtique fuerunt membra visibilis Ecclesiæ) ad Ecclesiam adductos esse. Vnde enim Scripturæ auctoritatem nisi ab illis didicerunt? Ac nisi ab Ecclesia proponatur nobis Scriptura, quid ponderis habebit ad convertendos infideles?

Deniq; dicat Gracza rotundè & categoricè: Ecclesia Christi ante Lutherum latuitnè, an patuit? Si latuit, quâ ratione conjungere se ipsi Gentilis aut Hæreticus potuit? quâ ratione fidem cum ipsa profiteri? ab ipsa erudi, baptizari, regi, pasci Sacramētis, siquidem hæc omnia Christiano sunt necessaria? Et vnde ipse oculos tam lynceos habet; ut videat latitantem Ecclesiam, quam nemo aliis videre potuit? Nonné dormientes testes adhibet, quomodo Judæi illi perfidi: *Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus*, Matth. 28. Si alicubi patuit, ergo Lutherana non fuit; cùm necdum doctrina Lutheri fuerit.

Alterum latibulum in limitationem Majoris quærerit Antagonista hac ratione: *Quaecunque Ecclesia non est perpetuo visibilis, scit: secundum omnem apparatus mediorum ad eam invitantium, æternam salutem monstrantium, cum eâ conjungentium & Sacra menta exhibentium, ad illam quamdiu talis est, nullus infidelis media & viam perveniendi & æternam salutem querendi habet, &c.* concedo, inquit: *Secundum externum formale tantùm, & quoad publicum ac solennem actuum sacrorum & Ecclesiasticorum exercitium, nego minorem.* Subditq; Ecclesiam Christi, ex mente Lutheranorum ante Lutherum, tempore nimirum Papistini, absconditam & invisibilem fuisse quoad externum formale & publicum ac solennem actuum sacrorum & Ecclesiasticorum exercitium, non autem secundū omnem apparatus mediorū &c. tum quia Ecclesia Christi semper visibilis sit ratione aliquarū actionum in sensus incurrentium, commonefacientium de aliquo religioso cœtu Numinis supremi causâ congregato; tum quia illa ipsa visibilitas, et si recipiat magis & minus, semper tamen tantum conspiciens fuit, quantum illis, qui fuerunt diligenter inquirentes, Act. 17. v. 11. & 27. fuerit sufficiens. Remansisse enim Scripturam Sacram, Sonum

num Verbi Dei publicum, usum baptismi, cœnæ administrationem; tum denique quia nullæ corruptelæ, etiam Papales planè corruperint & sustulerint veram Ecclesiam. Semper enim juxta hæreses, licet nonnunquam tenuius, fulsisse invictam, & pressam quidem non oppressam tamen veritatem.

Verùm his gyris & meandris non evadet nobis vulpecula... Non enim quærimus, vtrum media aliqua, ad salutem acquirendam instituta, velut est scriptura S. Baptismus, Cœna Domini, Verbum Dei, fuerint ante Lutherum, tempore Papismi; ( id enim nemo negat ) sed ubinam tunc temporis fuerit Ecclesia Christi, in quâ illa reperirentur; siquidem & apud hæreticos adeoque extra Ecclesiam Christi, possunt esse vera Sacra menta & Scriptura sacra: ac proinde Ecclesiam veram neq; ostendunt, neque efficiunt; cùm ea non consistat in hujusmodi medijs, sed in cœtu fidelium, qui his medijs ritè utuntur. Fuerunt illa apud Arianos, fuerunt apud Hussitas, aliosq; Hæreticos: non demonstrant igitur veram Christi Ecclesiam; quæ si apud Arianos vel Hussitas, vel, ut vocat, Papistas fuit, certè Lutherana non fuit. Dicat itaq; Gracza: si semper juxta hæreses fulsit invicta veritas, ubinam locorum, & in quâ tandem sectâ ante Lutherum fulserit; & hanc dicemus veram Christi Ecclesiam & visibilem fuisse.

Pro tertio effugio obijcit Adversarius: *Si planè nullus infidelis media ad Ecclesiam perveniendi & æternam salutem querendi habet, &c. quomodo infideles tempore Baalismi, Pharisaismi, ubi sanè publicum religionis puræ exercitium nullibi floruit, media & viam ad eam perveniendi & æternam salutem querendi habuerint?* Rursum quî sub Antichristo id fieri possit, quum sub illo abolebitur cultus publicus? Respondeo falsum assumi ab adversario, quòd exercitium puræ religionis nullibi tunc floruerit. Tempore enim Baalismi floruit in toto regno Juda: floruit & ex parte adhuc etiam in Israël, uti diximus; tametsi id Elias, utpote homo Eremicola, perspectum non habuit. Sub Pharisaismo verò puræ religionis exercitiū eversum non fuit; (quâ enim ratione Christus plebem remitteret ad Pharisæos & Scribas ijs verbis: *Quæ dicūt, facite?*) sed boni duntaxat mores, per nescio quas traditiones vanas & superstitiosas; quæ puram religionem non eliminant... Idem eveniet sub AntiChristo, ubi religionis exercitium è templis quidem exulabit: in privatis tamen locis, cavernis & subterraneis alijs latibulis ( quo modo factum sub Tyrannis, persecutionum tempore) præsentibus Christianis & Sacra menta percipientibus, suum habebit progressum. Nequaquam igitur tunc invisibilis erit Ecclesia; imò vel maximè efflorebit, cùm pro verâ fide tuendâ plurimi occubent Martyres; & per Enoch atque Eliam in eâdem retinendâ publicis concionibus firmabuntur...

Ergò quartum aliud excogitat asylum noster Adversarius, quò se tunc  
B eatur.

eatur. Quādo Ecclesia pressa est, inquit, & libertate publicē & solenniter docendi spoliata, adeoq; dicto modo invisibilis, tum quidem difficiliorum, non tamen prorsus impossibilem infidelium ad eam esse accessum. Remedia enim hæc habent: I. Ex lumine naturæ possunt percipere cultum inter infideles usitatum non esse verum, sed falsum Deoq; inacceptum. II. Ergo necesse est ut conferant sese ad Christianos generatim sic dictos, in quorum cœtu sciunt vigere cultum alium. III. Ibi agnoscant ante omnia scripturam S. continere Verbum Dei, ex quo peti debent credenda & agenda, quod principium omnes inculcant Christiani, etiam ipsi Pontificij. IV. Hoc posito fundamento & cognito veritatis principio, diligenter legant necesse est Scripturam Sacram, & juxta ejus normam de diversis in Christianismo religionibus judicent; ubi si devotæ preces accesserint, nullum est dubium, quin veritatem fidei sint percepturi, quo facto jam accesserunt ad Ecclesiam; licet non ad particularem aliquam & visibilem, tamen ad Catholicam & invisibilem, per accessum spiritualem & internum, quod ipsum ad salutem acquirendā sufficit. Sed quæ tu mihi hīc somnia, quas chimæras enarras? Ecclesiam in primis invisibilem appellas, quando pressa & libertate publicē & solenniter docendi spoliata est. Itaq; ex mente tuâ Ecclesia invisibilis fuit per trecentos ferè annos, quibus cum Tyrannis publicē luctata, interim tamen publico & solenni docendi exercitio spoliata fuit? Quæso nāres tibi emunge ut magis acutūm videas. Tot martyres quotidie fidem professi & ob eandem enecti nonnē sat superq; Ecclesiam Christi conspicuam orbi fecerunt, tametsi libertate fidem publicē & solenniter docendi spoliati fuerunt? Itané ex solâ publicâ & solenni doctione, & non item ex publicâ professione Ecclesia ostendi potest? Deinde si Ecclesia aliquādo pressa fuit, itané oppressa fuit? Solisnē jubar extinctum dices, quādo obductum nubibus minùs nobis splendet? Porrò quæ in cerebro tuo fingis remedia ad investigandam Ecclesiam illam, prorsus sunt inania. Quid enim prodest Gentili, conferre se ad Christianos generatim sic dictos, in quorum cœtu sciat vigere cultum alium; si nesciat quinam ex illis verè fidèles, quinam hæretici sint; adeoq; penes quos sit cultus Dei verus, à quibus sacramēta & Dei verbum percipere, cum quibus fidem profiteri queat? Ad Scripturam eum remittis. Sed quid si eam nec habeat, nec legere, multo minùs intelligere queat? Et vnde Scripturā canonica verāq; ejus intelligentiam nisi ab Ecclesia Christi hauriet? quomodo juxta ejus normam de diversis in Christianismo religionibus judicabit, si neque normam ipsam intelligat? Ea enim si adeo clara est, cur tot diversi eam legunt, & tamen Christi Ecclesiam veram in eâ non deprehendunt? Ad devotas preces lectorem Scripturæ allegas: tunc n. absq; dubio perceptum fidei veritatem ais: eoq; facto jam accessisse ad Ecclesiam, sed Catholicā & invisibilem, accessu spirituali. Quasi verò & alij tam varij hæretici preces non adhibuerint ad lectionem scripturarum:

rarum : qui tamen in ijsdem fidei veritatem nequaquam invenerunt ? Preces si ad hoc sufficerent, possent & devotæ aniculæ Scripturas interpretari. Piæ preces audiuntur à Deo, sed non semper ad nutum nostrum. Et quid si oret aliquis, sed non ut decet ? Petitis & non accipitis, eò quod male petatis ; ait S. Jacobus. Addis 2. Nec Hæreticis sub Papatu impossibilem fuisse cum Ecclesia Christi conjunctionē : eos enim debuisse sua dogmata hæretica ad scripturam sacram, velut ad normam credendorum expendere, & ubi errores suos deprehenderint, eos corrigere, & mentem scripturæ sequi. Quasi vero hæretici non & ipsi sua dogmata Scripturæ conformia dicant, indeq; confirment ! Quid n. omnes jactant, nisi scripturam pro se stare ? aliter sentientes atque ipsi sentiunt, Scripturam non intelligere ? Addis 3. Nec fidelibus sub Papatu omnia præclusa fuisse media participandi Sacraenta : mansisse enim quoad substantialia baptismum, canam licet mutilatam. Potuisse verò & Papisticam Congregationē in verbo & Sacramento impuro esse medium ad Ecclesiam Cath: penetrandi, patere ait, ex hypothesi DD. nostrorum qui infantes ab Ecclesia Lutherana baptizatos, si moriantur, salvos fieri afferunt : nec adultos simplices in Lutheranismo damnant. Verùm quid illis profuit participare Sacraenta cum Papistis, si in errore circa fidem cum ijsdem communicarunt ? Communicare autem nonné debuerunt, si fidei doctrinam non nisi ab ipsis desumere potuerunt ? Quod verò de infantibus & simplicibus adultis sub Lutheranismo constitutis aduersi, nihil pro te facit. Illi n. vigore fidei, in baptismo sibi infusæ, & nullo contrario actu excussæ, ad Ecclesiam Christi veram & visibilem spectant, non ad Lutheranam, cuius dogmata hæretica simplices nunquam amplexi sunt : infantes verò ne amplecti quidem potuerunt.

### Paradoxum alterum.

**A**lterum absurdum è Lutheri dogmate hoc deduxi : Ecclesiam Christi deteriorem Papatu fuisse, ut que tam diu se conservare non potuerit, ac Papatus ; qui à S. Petro in hunc diem perseverat.

Sequelam hanc Adversarius ad incudem ceream & ignem frigidum ferruminatam esse scribit & explodit hoc syllogismo : *Quæcumq; Congregatio vel Ecclesia tantum à S. Petro visibilis extitit, illa non est ita bona & firma sicuti paganismus : qui multis ante S. Petrum seculis in perpetuā extitit & adhuc existit visibilitatis forma. Atqui Congregatio Papistica, semper quidem, sed tantum à S. Petro visibilis extitit. E. Congregatio Papistica non est ita bona & firma, sicut paganismus.*

Verùm ipse tu Magister, frigidum hunc syllogismum ligone potius tuo, quam calamo exarasse mihi videris. Quantum enim frigus, quantus mucus

in majore tuâ Propositione hæret? Ecclesia enim, quæ à S. Petro visibilis extitit, promissionem à Christo habet, quod nunquam evertenda sit usque ad finem mundi. Nonné igitur melior & firmior est paganismo, qui non modò nihil tale in promissis habet, sed potius ab Ecclesia illa eversus, & sicubi adhuc hæret, evertendus est? Quod verò ante Ecclesiam à Christo supra Petrum fundatam viguerit, nequaquam inde colliges, meliorem aut firmiorem ipsâ fuisse; non enim quærimus, quæ congregatio diutiùs substiterit, sed quæ inexpugnabilior sit; & quæ talis est, utiq; solidior est. Maximâ ex parte paganismus ab Ecclesia sublatus est, & siquid residuum est, ab eâdem op̄primetur. Ipsa verò Ecclesia Christi visibilis nunquam evertetur.

Neque ego Ecclesiam Christi visibilem cum Paganismo contuli, quasi eo antiquior sit aut esse debeat, sed cum Papismo & hæresibus ab eadem prognatis; quæ si diutiùs conspicuæ substitissent, quām Ecclesia Christi visibilis, cui invictum robur à Christo promissum est, utiq; firmiores & meliores, hoc est, melioris conditionis, quām ipsa fuissent. Vbi enim Ecclesia Christi visibilis esse desijt, ibi & esse desijt. In hunc igitur modum formare syllogismum debuisset ex Paradaxo à me proposito: Illa Ecclesia infirmior adeoque deterioris conditionis est, quām Papismus, quæ acceptâ licet promissione stabilitatis, non conservavit se tamdiu, atque Papismus. Atqui Ecclesia Christi visibilis, acceptâ licet promissione stabilitatis, non conservavit se tamdiu, ( secundūm Lutheranos ) ac Papismus. Ergò tam firma tamq; bona conditionis non est Ecclesia Christi visibilis, atque Papismus. Hic ligonem tuum acue Gracza, & everte consequentiam. Sed nimirum hæretici cùm evertere conclusiones nequeunt, terminos evertunt atq; immutant; quod hīc etiam Gracza facit, dum Ecclesiæ visibilitatem cum ejusdem flore & splendore publico confundit. Semper enim conspicuam fuisse contendimus, semper in eximio splendore & flore fuisse non asserimus. Pressam subinde fatemur, oppressam esse negamus.

### Paradoxum tertium.

**S**equela tertia fuit, *Lutherum extra Ecclesiam Christi natum, baptizatum & ordinatum, neque ab ea ad munus prædicandi missum esse; sed à seipso venisse; siquidem à Deo immediate ad hoc missus non est.* Redigit hanc sequelam Adversarius in formam syllogismi, ut ait, *Compositi*, hunc in modum: *Si Ecclesia ante reformationem Lutheri tempore Papismi invisibilis fuit; sequitur, quod Lutherus extra Ecclesiam sit natus, baptisatus & ordinatus; neque ab eâ ad ministerium missus, sed quod à seipso venerit, siquidem immediate vocatus non fuit. At verum est antecedens ex mente Lutheranorum. Ergo & consequens.*

Ad

Ad hoc respondet, negari consequentiam. Nam, inquit, licet Ecclesia Christi ante Lutheri reformationem tempore Papismi fuerit invisibilis, hoc est, licet publico exercitio universali puro & sincero non floruerit, non tamen prorsus sublata aut prorsus invisibilis erat: à negatione enim modi ad negationem vel sublationem ipsius rei, N. V. C. Latuit ergo & tum Ecclesia sub Papismo, erat & verbum divinum sub Papismo, baptismus, & cœna Ecclesiastica, licet in vulgus non distributa, &c. Quatenus enim visibilis adhuc erat Ecclesia, quatenus non omnem ejus habitum destruxit Papismus, eatenus adhuc ista etiam bona retinuit, &c. Sed quis hīc non deprehendit fraudulentiam & nequitiam hæreticam? Latuisse ait Ecclesiam sub Papismo, & tamen adhuc visibilem fuisse, quatenus adhuc retinuit Dei verbum, baptismum, cœnam & similes dotes. Quomodo latuit, si visibilis aliquā ex parte fuit? Et si Papismus, ut vultis, hæresis fuit, quomodo sub Papismo vera Christi Ecclesia fuit? Fuere sacramenta aliqua in Papismo, Evangelium & Scripturæ Sacræ. Sed ista non constituunt, nec eatenus visibilem reddunt Christi Ecclesiam; possunt enim etiam apud Hæreticos reperiri & haberi. Dicat ergo Gracza: Vel in Papismo Ecclesia Christi visibilis fuit: vel non fuit? Si fuit, ergo Lutherani extra Ecclesiā Christi sunt; & stultè egerunt, cùm ab eâ discesserunt. Vel non fuit: Ergò Lutherus extra Ecclesiam baptizatus & ordinatus fuit, quia in & à Papismo baptizatus & ordinatus est. Subdit Gracza, *Lutherum accepisse baptismum & potestatē Ecclesiasticam sub Papismo, sed non ui Papismi.* Cujus ergò vi? Edicere hoc non potuit. Si enim dicat, vi Ecclesiæ Christi, quærimus ubi illa fuerit, si in Papismo non fuit. Quod in confirmationem adjungit, *admittere nos infantes à Lutheranis, quos Hæreticos appellamus, baptizatos, verum quidem est; sed nihil Adversario suffragatur.* Fatemur enim Sacraenta vera etiam apud Hæreticos reperiri & validè administrari, sed ui Ecclesiæ Cath: & Romanæ, à qua illa acceperunt, quamq; digito adhuc monstramus, toto orbe conspicuam. Dicat Antagonista, cuius Ecclesiæ ui baptismū & potestatem Ecclesiasticam acceperit Lutherus, si ui Ecclesiæ Romanæ nō accepit. Fateatur ergò Gracza necesse est, Lutherum extra Ecclesiam Christi baptizatum & ordinatum esse, si in Romanâ, quam depravatam & hæreticam clamat, baptisatus & ordinatus fuit.

### Paradoxum Quartum.

**D**ixi quarto, *Si Ecclesia Christi fuit invisibilis tempore Papismi, sequitur toto illo tempore, tot millia SS. Patrum, qui Ro: Cathedræ addicti erant, extra Ecclesiam, adeoq; neque Sanctos & verè fideles, sed errantes & impios fuisse; & consequenter nostros Antecessores; siquidem in Ecclesia Papistica*

Papistice se gesserunt, omnes errauisse & extra ovile Christi fuisse. Quod est absurdissimum.

Negat hoc sequi Gracza, quoad prius membrum. Sancti enim Patres, inquit, ut vocantur, celebres Ecclesiæ primitivæ Doctores, plurimi vixerunt, antequam errores Pontificij invalescerent, & ad anulw venirent, adeoq; non adhaerent erroribus, qui subsecutis temporibus in Ro: Cathedrâ propositi sunt. Sed exponat Gracza in primis, quomodo antiqui illi Patres non adhaerint Pontificijs erroribus, qui postea irrepserunt in Ecclesiam Ro: si adhaerent primæ Cathedræ seu Pontificibus summis, qui ipsorum tempore extiterunt. Nonnè Lutherani primam sedem seu Papam pro figmento habent & velut Hæreticum abiciunt, quando regimen Ecclesiæ monarchicum damnant? Tales ergo & illos Patres fuisse concedere cogitur. Deinde ostendere debet, quo tempore errores Pontificij invaluerint & ad anulw pervenerint: sub quo Pontifice, sub quo Cæsare, quo anno. Vbi hoc præstiterit, in sententiam ipsius ibimus; sed ad Calendas Græcas.

Quod alios Sanctos attinet, pergit Gracza, si sermo sit de Sanctis & fideli- bus, quales sub Papatu multos fuisse non nego, illi, licet non fuerint in ovili, sive Ecclesia Christi visibili, in quâ publicè & solenniter purum & sincerum verbum Dei prædicaretur, &c. Verùm in Congregatione Papisticâ, erroneâ & heretica, &c: tamen non erant extra, sed intra Ecclesiam Catholicam (intellige invisibilem, quæ est cœtus Electorum) & prout illa strictim ratione Electorum consideratur, & soli Deo nota est. Sed in primis jam ostensum est invisibilem illam Ecclesiam, seu cœtum Electorum, Ecclesiam non esse, quæ est cœtus hominum visibilium, certâ fide & ritibus externis colligatorum. Deinde quomodo cœtus ille Electorum invisibilis, Ecclesia Christi esse potest, cum hæc te- neatur fidem suam publicè profiteri? Deniq; quâ ratione Electi illi potuerunt esse in Congregatione Papisticâ & interim non adhærere Pontificiæ doctrinæ; siquidem omnes fuere oves Episcopis subjectæ, quos utique au- dierunt & audire debuerunt? Quis autem nescit Episcopos Pontificios o- mnes non nisi Pontificiam doctrinam suis ovibus proposuisse? Infantes no- bis obijcis, qui in Synagoga Lutheranâ baptizantur, & tamen membra Ec- clesiæ nostræ à nobis agnoscentur. Sed non advertis miser, aliam esse ratio- nem infantum, qui per baptismum in Ecclesiam Christi ingressi sunt, & si- dem in eo sibi infusam nunquam excusserunt, neque excutere potuerunt: a- liam adultorum, qui solent, imò coguntur, (cum aliunde erudiri nequeant) adhærere doctrinæ pastorum suorum, eamq; suo tempore etiam profiteri. Quæ si heretica fuit, utique & ipsi facti sunt Hæretici & ab Ecclesia Christi extorres. Quod verò in Ecclesiam Christi, sequentibus verbis, admittis etiam

Hære-

Hæreticos propter aliquorum Sacramentorum participationem, authoritate S. Augustini l. 3. de bapt. c. 19. & Alphonso de Castro l. 2. de iusta Hæret: punit: c. 24. jam dudum diluit Bellarminus noster l. 3. de Ecclesia milit: c. 4. Illum Gracza consulat & vnde rem furtivam abstulit, inde auferat & laqueum.

Quoad posterius membrum sequelæ, dum concludo Antecessores nostros, qui in Papismo Papisticè sese gesserunt, omnes consequēter errâsse; respōdet Gracza, *se quidem non videre, quibus malleis excudere possim*; tamen quia *nemini absurdum est*, qui filum scripturæ S. sequitur, sed verissimum, & à suis *jam alibi sufficientissimis probatū documentis, ultrò largiri*. Itaq; non videt notua, quomodo hæc sequela ostendi possit, & interim videt verissimam esse ex scripturâ S. atque ut pauculos suos salvet, omnes Christianos, qui in Papismo vixerunt & cum Papa senserunt, damnat adeoq; totam Ecclesiam Christi, quæ ante Lutherum fuit, è cœlo proscribit. Eò amentiæ & impudentiæ hæresis abducit..

## DISSE R T A T I O S E P T I M A.

*In quâ Gracza sententiam Lutheranorum vindicat,  
de errandi possibilitate.*

**M**iris rursum verborum involucris viam sibi ad effugiendum struit vulpecula. Ait primò, *Ecclesia nomen accipi vel de Catholica vel de particulari Ecclesia. Catholicā vel electorum vel vocatorum omnium respectu sic dici*. Parum memor eorum, quæ in superiori Dissertatione §. 4. scripsit: *Ecclesiam Christi considerari dupliciter, uno modo respectu Vocationis, altero respectu Electorum*. Illam visibilem, hanc invisibilem & Catholicam appellavit. Vbi Ecclesiam Catholicam restrinxit ad eam, quæ continet Electos tantùm, non Vocatos, estq; invisibilis: hoc aut loco extēdit eam ad vtramq; Ecclesiam, eam scil: quæ est Electorum, & eam, quæ est Vocationis. Ita nimirum Hæresis suis se laqueis involuit, dum extricare se conatur. Ait II. *Errores esse duplices, alios fundamentales, qui ipsum fundamentum fidei evertunt: alios non fundamentales, qui cum fidei fundamento consistunt*. Sed hîc exponere debuisset, quinam sint in particulari errores, qui fundamentum fidei evertunt, qui non evertunt. Quod cùm ipse edicere nequeat, quomodo rudis plebs eos discernet? Ait III. *Duplici modo errorem obtinere posse, vel ad tempus, vel finaliter. Electos erroribus etiam fundamentalibus ad tempus involui posse, sed tamen ante obitum inde eluctari: levioribus verò seu non fundamentalibus, quos Apostolus vocet fœnum & stipulas 1. Cor. 3.v.12. involui etiam*

etiam finaliter posse : qui tamen igne crucis & temptationis in illis absuntur, ne  
salutem eorum impediunt. Purgatorium Lutheranorum h̄ic audimus, ignem  
crucis & temptationis. Sed quid si talis errans crucem & temptationem nullam  
experiatur ? quid si post admissos istiusmodi errores repente moriatur ? Vbi  
errores illos expiabit ? vtique in altero s̄eculo & igne transitorio, si non æ-  
terno. Ergò Purgatorium aliquod Gracza admittit. Sed quomodo h̄ic se  
expediet, ne officium Christi perfidè violet, & sibi ipsi contradicat ? Scripsit  
enim in Prioribus suis Vindicijs Dissert. I. §. I 2. *Calamitatibus, temporalibus*  
& *castigationibus paternis admoneripios de peccatis prateritis quidem, non ut ea*  
*expient (sic enim officium Christi perfidè violaturos) sed ut profundius illa agno-*  
*scant, & eorum sensu sub cruce acrius pungantur.* Si cruces, temptationes & ca-  
stigationes temporales non expiant peccata præterita, quomodo ignis cru-  
cis & temptationis errores leviores, quos Apostolus, ut ait, fœnum & stipulas  
vocat, in erronibus absumet ? His præmissis subdit : *Quamvis inter dum cor-*  
*ruptele totam visibilem Ecclesiam & publicum ejus ministerium in omnius omni-*  
*um locorum particularibus Ecclesijs occupent, ita ut nullibi supersit purum & in-*  
*corruptum ministerium, nunquam tamen Ecclesia sic errat, ut non sint, qui simpli-*  
*cem Verbi ductum sequentes Spiritus S. directione & efficaci operatione in verita-*  
*te & fide, eo modo sanctificantur, ut fundamentum salutis retineant, à fundamen-*  
*talibus erroribus immunes perseverent ac virtute Dei per fidem ad salutem con-*  
*serventur, licet illi nonnunquam pauci sint ac persecutionibus & corruptelis publi-*  
*cè grassantibus ita lateant, ut publicè coram mundo non agnoscantur.* At Eccle-  
siam particularem, quæcunq; illa sit, non solum erroribus levioribus, sed & funda-  
mentalibus involvi posse asserimus. Sed quis ista, quæso, combinet : Ecclesiam  
totam visibilem ita corrumpi posse, ut nullibi supersit purum & incorruptū  
ministerium ; nunquam tamen sic errare, ut non sint aliqui, qui fundamen-  
tum salutis retineant ? Si tota Ecclesia errare & corruptelis occupari potest,  
ut nullibi sit purum & incorruptum ministerium : quomodo superesse pos-  
sunt, qui à fundamentalibus erroribus immnes sunt ? Isti enim vel de Eccle-  
sia visibili sunt, vel de invisibili. Si de visibili : ergo non tota Ecclesia visibi-  
lis erravit & corrupta est. Si de invisibili : quo indicio Gracza tales depre-  
hendit, si latent, & publicè coram mundo non agnoscantur ? Deinde si oc-  
cultè solum fidem retinent, quomodo veri Christiani sunt, qui fidem profi-  
teri non audent, sed hominum gloriam magis diligunt, quam gloriam Dei ?  
Rursum quâ ratione fidem hi vel acquirent vel conservabunt, si nullibi loco-  
rum fides pura prædicatur ? *A Spiritu Sancto, inquis, directi, simplicem verbi*  
*ductum sequentur.* Sed hoc est divinare & miracula adstruere : Non solet  
enim viâ ordinariâ Spiritus Sanctus seipso immediate homines instruere,  
sed per alios homines, Ecclesiæ Doctores. Adhæc quamplurimi dicent, se à  
Spiri-

Spiritu Sancto afflatos simplicem Verbi ductum sequi ; qui tamen inter se maximè discordabunt, uti appareat in hæreticis plurimùm dissentientibus, interim Spiritum Sanctum perpetuò jactantibus. Postremò si Graczæ demus, tales aliquos in Ecclesia totâ corruptâ inveniri potuisse, quæro an illi de Lutheri sectâ fuerint ? quinam & ubi fuerint ? Hic cantandum Graczæ foret, nisi vocem perdidisset. Quod verò de Ecclesia particulari, hoc est, visibili ( hanc enim §. 4. particularem appellavit ) annexit, eam fundamentalibus etiam erroribus involui posse ; aliud non est, quām cōcedere, quòd tota visibilis Ecclesia interire possit. Ad quid igitur tot limitationes & tot distinctiones adfert, quomodo interire & non interire possit ? Si interire potest, dicat nobis, an interierit, vel non. Si interijt, ergò sequūtur absurdia omnia, quæ proposui. Si non interijt : ubinam & penes quem populum permansit : & rem confectam habemus : scilicet Lutheranam non fuisse, ut quæ ante Lutherum non fuit : sed Romanam fuisse, quæ sola semper perststit.

Sed explicare se conatur vulpes, quomodo Ecclesia funditus interire possit, distinguendo *inter defectum* sive *interitum Ecclesiæ essentialē*, quando à fide verâ discedit & in hæresim prolabitur : quo pacto ipsa Ecclesiæ essentia tollitur : & *inter interitum* vel *defectum accidentalem*, quando veram fidem retinet, publico tamen & quieto istius fidei exercitio caret, atque sic externum respectu nostri splendorem instar Solis eclipsati amittit. Ait igitur. Ecclesiam veram particularem, sed nō universale, deficere vel interire posse essentialiter per aποστολαν à fide. Ecclesiam verò particularem & universalem interire posse actualiter, per amissionem publici & quieti exercitiū : particulare quandam in perpetuum, universale ad tempus. Sed videat & examinet Lector hominis imposturam & fallendi artem. Suprà §. 4. Ecclesiam particularem appellavit visibilem, & distinxit à Catholicâ ( utique vniuersali ) & invisibili. Jam involuit particularem cum vniuersali, afferens, particularem interire posse essentialiter : particularem & vniuersalem interire posse accidentaliter, quasi dicat : Vtraque simul interire nequit. Ergo alterutra potest : non vniuersalis seu invisibilis : Ergò particularis seu visibilis ; Et si hoc, habeo rem confectam ; consequuntur enim inde omnia absurdia, quæ hoc articulo proposui. Quòd si Gracza eo sensu præcisè deficere & interire Ecclesiam posse vult accidentaliter, uti vocat ; quo Solis jubar interit, cùm eclipsatur : quatenus nimirum externum splendorem in publico & quieto exercitio amittit ; quâ ratione sub Tyrannis eum amisisse, & sub AntiChristo amissura dici potest : litem ei non movebimus. Sed negamus solùm hanc Ecclesiæ eclipsin esse ejus interitū : quemadmodum nec eclipsis solis ipsum extinguit, sed splendorem ejus duntaxat aliquâ ex parte tegit.

C

Para-

## Paradoxum Primum.

**I**Am ad Absurda à me deducta pergit Adversarius, quorum primum erat: *Si tota visibilis Ecclesia errare potest, aut aliquando erravit, sequitur verba Christi fallere, dum ait: Portæ Inferorum non prævalebunt adversus eam. Si namq; in errorem incidit & à Christo descivit, omnino superata est. Atqui antecedens concedunt Lutherani, ergo & consequens admittere coguntur.* Quid hic Gracza? Concedit propositionem majorem, adeoq; falsa esse Christi verba, si vñiversa Ecclesia visibilis (quà complectitur omnes omnium temporum & locorum fideles) erravit aut errare potest in fide quoad dogmata fundamētalia & quidem finaliter, ita scil: ut ex erroribus nunquā eluetur.. Negat verò quoad publicum ejus ministerium & errores sive non fundamentales, sive fundamentales ad tempus tantūm obtingentes. Itaque Ecclesiam vñiversam visibilem, non posse errare in fide quoad dogmata fundamentalia finaliter: posse quoad dogmata non fundamentalia, & fundamentalia quoad tempus. Posse proinde contingere, ut nullibi supersit purum & incorruptum ministerium: non tamen ita, ut non sint aliqui, qui simplicem verbi ductum sequentes, fundamentum salutis retineant, & à fundamentalibus erroribus immunes perseverent. Sed hoc commentum ipsius paulò antè jam evertimus. Vnde enim novit Gracza tales aliquos, qui simplicem Verbi ductum sequentes, fundamentum salutis retinuerint, semper remansisse; siquidem publicum ministerium ubiq; corruptum fuit: & plebs teneatur audire suos pastores? Deinde si occultè solùm fidem quoad essentia retinuerūt, publicè autem non professi sunt, sed eā in corde retentā, exteriorūlūrunt cum lupis, & perfidiam atque idolatriā, vel AntiChristianismū sectati sunt: quomodo fuerunt de Ecclesia Christi? Non enim est Ecclesia Christi, in quà nulli sunt boni, & qui salvantur. Boni autē non sunt, nec salvantur, qui hujusmodi hypocritæ sunt. Rursum quomodo illi fidem conservabunt aut amplectentur sine Doctore veræ fidei? Quomodo discerent fundamentales errores fidei, à non fundamentalibus? A quo libros sacros Canonicos eorumq; explanationem accipient? Deniq; si qui tales fuerunt sub Papismo, Arianismo, vel Paganismo, quomodo Lutherani fuerunt, aut quomodo cùm Luthero convenerunt in fidei dogmatibus? Omni igitur ex parte manca est hæc responsio.

Quare adversarius aliud adhuc effugium sibi circumspexit, adiiciens, pollicitationem illam Christi de non prævalitidis portis inferorum cumpromis Ecclesiam electorum concernere, attestantibus etiam DD. nostris Caetano & Fero qui nomine Ecclesiæ non intelligunt congregationē Christianorum, seu bonorum seu malorum, sed Ecclesiam secundum spiritum, nempe Ele-

ctorum.

ctorum. Quibus addit Abulensensē, qui in eum Matthæi locum scribit: *Non est verum, quod super Petrum adificata est Ecclesia, quia solus Christus est fundamentum Ecclesia. Et patet, quia necesse est ut fundamentum Ecclesia sit immortale, &c.*

Sed errat Gracza, nam Electorum cœtus non à Christo Domino exordium sumpsit, sed jam olim ab Adamo: neque is structura Christi appellari potest, quæ utique patere debet; nisi dicas eum in aëre invisibile quid struxisse; quod facile explodi potest. Caietanus malâ fide ab Adversario citatur. Falsum enim est, quod Ecclesiæ nomine intelligat Ecclesiam secundum spiritum, sed eam, quæ constat ex congregazione fidelium in unâ fide, spe & charitate. Ita enim ipse scribit in illum Matthæi locum. Hinc facile discas pari fide allegari à Gracza Ferum: cujus verba si pro ipso starent, adducenda fuissent. Mihi Auctor ad manum non est. Abulensis ait se loqui de fundamento propriè & strictè accepto, quod nulli alteri innititur, adeoque de primario & infimo, quod utiq; est Christus. Neque nos asserimus supra Petrum & successores ejus, ut sunt privatæ personæ structam esse Ecclesiam, sed ut sunt personæ publicæ, seu Pastores Ecclesiæ: sive ut Hieronymus in Ep. ad Damasum de nomine hypost: & Aug: in Ps: cont. partem Donati explicant, structam esse supra Cathedram Petri, quæ successores ejus omnes complectuntur.

## Paradoxum alterum.

**A**lterum Absurdum sic in formam redigit Antagonista: *Si Ecclesia visibilis tota errare & deficere potest, sequitur Christum longo tempore nullam sponsam fidelem habuisse, verum mæcham, imò Diaboli meretricem.. Et quod ex hac Lutherus & alij Lutherani velut spurij & meretricis filij nati & orti sint. At Antecedens est Lutheranorum, E. & consequens.*

Quod hīc effugium Gracza querit? Ad invisibilem Ecclesiam iterum se recipit. Nam *invisibilis Ecclesia*, inquit, & *Catholica Ecclesia* nunquam deficit, nunquam adulterium passa est, sed semper sponsa Christi castissima permanit & ad finem mundi mansura est; quia portæ inferorum adversus eam nunquam prævalebunt. Addit Ecclesiam visibilem complecti ambitu suo etiam hypocritas, occultos hæreticos & alijs vitijs obnoxios, adeoq; ut sic non esse sponsam Christi, quæ constare debeat solis fidelibus & Electis. Sed fallitur & fällt; nam Ecclesiam invisibilem esse Chimæram, jam ostensum est. Quod autem visibilis contineat intra se etiam malos, nihil impedit, quò minùs Christi sponsa sit; quia quam in baptismo Christus sanctificavit, eandem, si in quibusdam membris suis polluatur, rursum abluere & sanctificare potest, omnibusq; modis nititur per pœnitētiā. Alioquin si soli boni essent in Ecclesia,

ad quid in ipsâ foret Sacramentum pœnitentiæ; quod non nisi ijs administratur, qui sunt in Ecclesia? Ut taceam, quòd sequeretur, mox atque aliquis peccavit, statim excidere eum de Ecclesia; quo quid est absurdius? Denique si electi in solâ invisibili Ecclesia subsistere & salutem suam consequi possunt ac potuerunt; ad quid prodest Ecclesia visibilis? Nonné Lutherus frustra & stultè laboravit, producendo è latebris erigendoq; Ecclesiam suam Lutheranam, si extra visibilem Ecclesiam Electi salvari possunt & salvantur? Pergit Gracza: *Neque sequitur: Ecclesia visibilis tempore Papismi facta est scortum & meretrix spiritualis: Ergo Lutherus & alij Lutherani, siquidem ex eâ orti sunt, sunt spurij & meretricis filij.* Nam I. Generat Ecclesia filios Dei, etiam quæ meretrix est; non quidem quâ meretrix, sed quâ adhuc vim generandi ad regnum cœlorum, & semen illud prolificum cœlestē retinens. *Quam fœcunditatem non expirasse sub Papatu, quæ cœlo debetur asserimus. Ecclesiæ etiam corruptæ Deus miscet, qui semen sanctum propagant & conservent.* Rom. 11. v. 5. Et ex hoc semine natus est Lutherus & reliqui Lutherani. Sed hîc iterum divinat. Et enim sub Papismo Pastores omnes Papæ addicti fuere & doctrinam ejus sequi sunt; & quid aliud audire & credere potuere subditi, nisi quod à Pastoribus suis audierunt? Deinde Gracza ostendat, quinam & vbinam semen illud Sanctum & incorruptum sub Papismo fuerit? Non sanè Parentes Lutheri, quia & ipsi Papistæ, ut sic cum ipso loquar, fuerunt. Neque alias ostendere potest, nisi ad Schismaticos, vel Arianos aut similes Hæreticos cōfugere velit; qui tamen eum non recipient, cùm non fuerint Lutherani. Lutherus à Pontificijs & natus & baptisatus, eruditus & ordinatus & Doctor creatus est. At Ecclesiam Pontificiam mœcham clamant Lutherani, ergo talem fatentur fuisse matrem & Lutheri & suam. Neque ad rem facit versus 5. quem ex c. 11. ad Rom. citat Gracza. Ibi enim aliud non dicitur, nisi reliquias Judæorum, seu minimam partem, præ innumeris alijs ad fidem esse perductam; quid hoc ad fœcunditatem Ecclesiæ corruptæ facit?

II. Eandem sequelam sic amolitur: *Maternitas spiritualis non est attributum Ecclesiæ, quæ visibilis est, sed quæ Catholica ( scilicet invisibilis ) & sponsa Christi. Aliud enim sunt organa maternitatis seu congregationis spiritualis, aliud est ipsa generans. Manent hæc bona & organa in possessione Hierosolymæ, quæ sursum est, quæ omnium nostrum mater est, Gal. 4. v. 26. quæ invisibilis est. Hæc igitur gignit, etiam cùm usurpat ministros apostaticos, hæreticos, atheos, etiam ubi coetus sunt corrupti & à veritate devij. Illa nihilominus occultissima dispensatione Patris cœlestis & sponsi sui etiam in medijs inquinamentis, erroribus, imo in ipso spirituali lupanari suam vim exerit & filios legitimos patri & sponso suo gignit. Expendantur verba Dei Ezech. 23. v. 36. 37. Atque hæc decantatissima cœlestis illius sponsi sponsa Lutherum, Lutheranos & reliquos fideles ex semine illo prolifico,* & in

*& in crassissimis Papismi tenebris genuit & gignit. Sed merum hoc figmentum est. Nam Ecclesia, quæ baptizat, prædicat, ordinat, & fidem profiteatur, utique mater fidelium & quidem visibilis est & esse debet. Invisibilis enim quâ ratione hæc præstare potest, adeoqué filios gignere, cùm præsertim non nisi per hæc organa, seu media queat? Stultum profectò est asserere matrem invisibilem per visibilia organa gignere: visibilem verò, quæ Christi filios baptizat, in fide instruit, sacramentis pascit, ordinat, mittit, &c. non gignere. Nec Apostolus ad Gal. 4. v. 26, de aliâ, quâm de visibili Ecclesia loquitur; jubet enim eam præ gaudio exclamare & laudare Deum, quòd ex sterili fœcunda facta sit, adeoqué Synagogæ prælata. Deinde quia eam Synagogæ opponit, ac præfert, sicut Saram Agari ancillæ. Synagogam autem Judæorum, quis invisibilem fuisse dicat? Cùm ergo Lutherus, & qui cum eo ab Ecclesia defecerunt, non nisi à visibili Ecclesia, seu pastoribus illius, baptizati, educati, sacramentis & Verbo Dei pasti fuerint, utique à moëcha seu meretrice, si Ro: Ecclesia talis fuit, ut ipsi asserunt, prognati sunt.*

Sed parpari referre conatur Adversarius, dum ex Autore Oneris Ecclesiæ c. 19. §. 6. scribit: *Sedem bestie esse in Curia Ro: Ecclesiam Ro: esse meretricem, reprehensam à Ieremia & Isaia, nec non in Apoc: Ioannis, ac perinde nos Romanopapistas potius esse filios meretricis. Sed miser aërem verberat. In primis enim Autorem illum, qui suis calumnijs oneravit Ecclesiam, & lupum sub ovinâ pelle texit, ne teruncio æstimamus, sed ut calumniatorē spernimus. Vel si Lutheranis placent, quæ ille scribit, fateri de novo debent, se à meretricie prognatos esse; siquidem Lutherus & qui cum eo ab Ecclesia desciverunt, ab Ecclesia illa, quam describit Auctor oneris, nati, à Pontificijs pastoribus renati, in fide instructi, sacramentis pasti, ordinibus sacris instructi & ad prædicandum missi sunt. Filij igitur spirituales illius meretricis erunt. Verùm hoc ex illorum sententiâ, non ex nostra sequitur. Nos enim per Meretricem & Babylonem illam, non Romanam, qualis nunc est, Christianam (multò minùs Ecclesiam Romanam) sed Gentilem, qualis Ecclesiæ nascentis tempore fuit, dum in Christianos sœvijt, intelligimus, uti pluribus ostendit inter alios P. Cornelius à Lapide in Apoc. c. 17. Non ergo par pari refert Adversarius, sed calumniam veritati rependit.*

### *Paradoxum Tertium.*

**T**ertiū Absurdum erat: *Si universa Ecclesia visibilis errare potest, sequitur Lutheranos non posse scire, utrum in Ecclesia sint vel non. Cùm & ipsi imperceptibiliter errare possint & potuerint, quo modo Ecclesiam primitivam tandem errasse dicunt Lutherani.*

Respondet Gracza I. negando cōsequentiā quoad prius membrum. Non enim ita stupidos ait esse Lutheranos, prout ego existimo; quippe edocēt os è divinis monumentis Ecclesiam, tempore Apostolorum plantatā, duraturā usque ad finem vitæ: imò semper fuisse & ad finem mundi futurā visiblē ratione aliquarū actionum in sensuſ incurrētiū, &c. Et ibi esse Ecclesiā, ubi actiones illæ exercebuntur; aut in totum aut in tantū, hoc est, ubi prædicatur Verbum divinū & Sacramēta administrātur, quæ sunt intimæ atq; infallibiles notæ Ecclesiæ visibilis. Verūm quidquid sit de alijs Lutheranis, tu mi Gracza oppidò stupidus es, qui tam mulcēs errores evomis. Ecclesiam tempore Apostolorū plantatam, duraturā usq; ad finem vitæ aīs, imò semper fuisse. Quomodo semper fuit, si à Christo primū tempore Apostolorum plantata fuit? Ecclesiam Electorum ( si ita loqui placet ) invisibilem, ut diximus, Christus non plantavit: sed visibilem, ad finem mundi talem futuram. Deinde actiones illæ in sensuſ incurrēentes non constituunt neque ostendunt Christi Ecclesiam; cùm poffint inveniri & exerceri etiam in hæretico cœtu. Nec verum est verbum divinum & administrationem Sacramentorum esse notas infallibiles Ecclesiæ visibilis: siquidem omnes hæretici eas sibi arrogant: neque notæ Ecclesiæ esse poffunt, cùm æquè ignotæ sint atque Ecclesia; & sint potiū id quod inquiritur, quām notæ rei quæſitæ. Aīs, si observant ex Scripturis in illo cœtu, purum & sincerum verbum proponi, legitimè & juxta institutum Christi administrari Sacra-menta, tum colligunt se esse in Ecclesia verā & purā: si verò observant, ibi verbum divinum habere admixtum verbum humanum eversivum calefētis veritatis, aut mutilate & contra institutum Salvatoris, tum advertunt se esse in cœtu quidem, Numinis supremi causā congregato, sed in impuro & corrupto. Vtique si pennas habuerint, etiam in cælum evolabunt. Sed quomodo ostendet Gracza illam hypothesin, quod ex Scripturis observaturi sint, purum & sincerum verbum sibi proponi? legitimè & juxta institutum Christi Sacra-menra administrari? Quid si scripturas SS. nec habeant, nec legere multò minūs intelligere poffint? quis eis demonstrabit, quæ sint Scripturæ Sacræ & quis earū intellectus? Et quomodo inde deprehēdēt veram Christi Ecclesiā, cùm tot alij nasuti hæretici Scripturas legerint, nec tamen Ecclesiam Christi agnoverint, sed suas singuli tanquam veras Christi Ecclesiās è scripturis conjectārint? Cyngarorum itaque vaticinia canis: Si pecunijs abundaveris, dives eris: si observaveris in Scripturis, ubi purum Verbum Dei proponatur, Ecclesiam Christi invenies. O vatem admirabilem!

Pro II. ait, id quod primitivæ Ecclesiæ visibili scil: accidit, ut nimirum interire poffit, id suæ quoq; evenire posse, quā scili: visibilis est. Sed quid si ei id jam evenisset? quā viā igitur noſſe potest, quinam ex suis sint de Ecclesia Christi, & verè Lutherani, qui non? nonné omnes suspectos de fide habere debet?

Et si



Et si visibilis Lutheranorum Ecclesia aliquando defecerit, quis tunc in mundo Lutheri dogmata tenebit aut profitebitur? Nonné rursum in tenebras ibit, vnde olim prodijt?

Pro III. respondet Lutheranos omnino scire posse, Ecclesiam ipsorum non errasse, quia audit vocem sponsi & Pastoris sui, & sequitur vocem Spiritus Sancti in Scripturâ loquentis. Quid frigidius hoc responso? Nonné petere hoc est principium? Itané soli Lutherani audiūt vocem sponsi & pastoris sui, & sequuntur vocem Spiritus Sancti loqētis in Scripturis? Num alijs hic non loquitur? An alijs omnes Bardi sunt, & soli Lutherani nares emunctas habent, ut Spiritum Sanctū loquentem intelligant? Vide in quantam arrogantiam & cæcitatem hæresis impellat.

## Paradoxum Quartum.

**D**enique sic conclusi: Si universa Ecclesia visibilis potest errare, sequitur Lutheranis constare non posse, an & in quibus libris Scripturam Sacram habeant; siquidem id absque Ecclesiæ visibiliis testimonio sciri non potest. Negat adversarius id extra Ecclesiæ testimonium haberi non posse. Primò quia cum Apostoli & Apostolorum caput Christus contra Iudeos & alios egerunt, à quibus nullatenus sub ratione autoritatis infallibilis conspiciebantur, convincebant tamen eorum animos in ipsa peroratione causa fidei, virtute sacra-rum literarum, nec opus fuit præviā informatione. Sed decipitur, non distinguens inter rationem credendi, quæ est divina revelatio: & inter propositionem divinæ veritatis. Itaq; Judæi Act. 2. & 3. & Eunuchus ille c. 8. crediderunt verbo Dei, quia in scripturis repererunt à Deo revelatum. Non credidissent tamen, nisi etiam Petrum & Philippum, qui proponebant eis verbum Dei ex scripturis, habuissent pro Christi discipulis seu membris Ecclesiæ, missis ad prædicandam & proponendam eis fidem. Quis enim sanæ mentis homini ignoto mira sibi de cælo annuncianti fidem præbeat, nisi persuasus ipsum esse fide dignissimum, & à Deo ad prædicandum missum? Quàm multa ex Scripturis proposuere & proponunt Hæretici, quibus tamen nemo aut paucissimi fidem habent; quia causas proponentes de fide suspectas habent? Itaque nisi Ecclesia visibilis cum infallibili suâ auctoritate proponat nobis Scripturas SS. nemo eas amplectetur aut amplecti poterit fide divinâ.

Negat II. quia id omnino ex S. Scripturâ haberi potest, quinam scil. libri sacri & canonici sint: qui non. Sed vndenam obsecro? Quia scriptura, inquit, dicit se esse verbum Dei, & in quibus continetur libris. Dicit namq; I. realiter, quando potentissimas rationes admovet animo hominis & intus loquitur, ut sentiat

sentiat animus divinos motus planeq; cōvincatur, se in Deum rediisse, à quo per cul-  
pam peccati exierat. Dicit scriptura, cùm lucernam Spiritualem ipsum Deum  
ostendentem se ostendit Ps. 119. cùm imbre se exhibet corda rigantem Esa. 55.  
cùm ignem se præbet purificatē affectus Ier. 23. cùm semen est vivum, Matth. 13.  
Sed ista nimis puerilia sunt. Fuere enim multi libri, qui titulos divinæ scri-  
pturæ præ se ferebant, & sibi ipsis testimonia dabant, nec tamen divini erant.  
Deinde hoc testimonium vel spectat ad S. Scripturam, & tunc est æquè in-  
certæ fidei, atque ipsa scriptura. Vel non spectat, & tunc non potest ferre  
testimonium de scripturâ. Neque motus illi interni quidquam certi annun-  
ciare possunt; quid enim si humani tantū sint, & humano ex affectu nati? Et  
nonné etiam alij pij libri, tametsi non sacri, ejusmodi motus in nobis exci-  
tant? Nonné & illi viam ad cælum ostendunt, corda rigant, petras conte-  
runt; uti Cōfessio S. Augustini, libellus de imitatione Christi & similes com-  
plures? Neque verum est, quod ait Gracza, Scripturam sufficientissimè dice-  
re, in quibus libris contineatur. Vbi enim dicit tot esse libros canonicos, &  
non plures? Istos præcisè sacros esse, alios non esse? Et tametsi istud diceret,  
adhuc quæstio foret de illo testimonio, divinumne an humanum duntaxat  
esset. Dicit II. (subdit Gracza) αὐτολεξέι (ita doctè scil: graciam vocem  
pingit) quoties singuli Sacri Scriptores dicunt se dicere verbum Domini: quoties  
profitentur, Spiritum Domini fuisse super ipsis: quoties N. T. Scriptores, & Chri-  
stus ipse V. T. Scriptores ut divinos laudant: quoties singulos atque universos ve-  
lut infallibilem divinam veritatem continent adducunt: cùm ipsi etiam N. T.  
Scriptores suam vocationē divinā, suam peculiarem illuminationē proponunt, &c.  
Sed hæc omnia frustra sunt: Possunt enim & alij quicūq; libri αὐτολεξέι, seu  
ipsâ dictione, talia sibi testimonia dare, & dederunt, velut Evangelia Barto-  
lomæi, Matthæi, Nicodemi, Nazarenorum, alijque. Et jactant passim in li-  
bris Hæretici se Spiritu Sanctu afflatos scribere. Quòd si vñus subinde  
liber canonicus alterum allegat, nequaquam id satis est, cùm etiam profani  
allegentur, ad Tit. 1. v. 12. 1. Cor. 15. v. 33. Act. 17. v. 18. Falsum quo-  
que est singulos atque universos velut infallibilem divinam veritatem conti-  
nentes adduci. Vbi enim adducitur liber Ruth, Regum Paralipomena, Ef-  
ther, Job, Ecclesiastes, Sophonias? Deinde si paucæ ex illis sententiæ adducun-  
tur, vnde constat totos libros esse canonicos? Et quid si allegans sit æquè in-  
certæ autoritatis, atque allegatus? Rursum si libri V. T. sumunt suam auto-  
ritatem à libris N. T. vnde isti suam desumunt? Num à libris V. T. de qui-  
bus nihil adhuc sciverunt? Neque vel obolo plus valent, quæ in suppetias  
adducere se posse, ait Gracza, interna κριτήσια, ex antiquitate, majestate  
rerum, singularitate sermonis, sermone prophetico, harmoniâ, vaticiniorum

cer-

certitudine, doctrinæ efficacia, &c. Hæc enim omnia & in profanis libris reperiri possunt. Nullo igitur ex capite; nullo prorsus, desumi potest notitia librorū divinorum, nisi ab Ecclesiæ autoritate, quæ si aliquando visibilis esse desijt, eam nobis cognitionem tradere non potuit.

Quamobrem contra Graczam & Lutheranos militant adhuc constanter Paradoxa, quæ de Ecclesia proposui; eosq; de manifesta pertinacia, vel certè crassissima ignorantia redarguunt.

## Paralipomena Graczæ.

**C**um hostis civitatem expugnare nequit, antequam obsidionem solvat, saltem ejus turrim quatere tormentis & violare solet, ne planè inultus abeat. Pari modo Gracza cùm visibilem Ecclesiam subruere non valuerit, iram suam extremum exerit in Pontificem, quasi Ecclesiæ turrim argumentis quassaturus. Quæ tamen adeo frivola & inania sunt, ut vel à tyrunculis derideri queant.

Primum est hujusmodi: *Vna persona non potest dici Ecclesia, teste Bellarmino l. 3. de Eccl: c. 17. Subsumo: Papa Ro: est una persona, E. non potest dici Ecclesia. Hæc conclusio est contra Papismum, cum primis contra Gregorium de Valentia To. 3. Comment: in Tho. pag. 24. edit. Ven. ubi inquit: Nomine Ecclesiæ intelligimus ejus caput R. Pontificem.*

Verum male in primis & contra te ipsum infers, hanc conclusionem esse contra Papismum; si nullum alium auctorem pro hac sententia producere potes præter Valentiam. Neque enim unus Valentia constituit Papismum. Itaque te ipsum tuo gladio ferijsti. Sed porrigamus cæcomanum, ut è tenebris emergat. Verum est, quod Bellarminus ait, unam personam non constitutre Ecclesiam, cùm Ecclesia sit populus & regnum Dei. Quid ergo afferit Valentia? nomine Ecclesiæ intelligi Pontificem? Audi ipsum Valentiam disput. 3. q. 10. de Correct. frat. p. 5. sic loquente: *Cum ait: Dic Ecclesia, significat Prælatum, ut representat Ecclesiam tanquam persona publica atq; adeò ut Index, sicut exponit Chrysostomus & alijs. Intelligit ergo per Ecclesiam, publicum Ecclesiæ judicium, seu pastores Ecclesiæ, sive aliquos, sive unum tantum. Ita enim D. Chrysostomus exponit: Dic Ecclesia, id est, Præsuli; qui nimur in iudicio Ecclesiam representat, velut caput. Neque enim unquam solent criminosi apud populum causam dicere; sed apud Episcopum. Itaq; summus Pontifex Ecclesiam representare potest, constituere non potest.*

Alterum est: *Si Pontifex errat seu supremum Ecclesiæ caput, oportet & totam Ecclesiam errare; teste Bellarmino l. 4. de Ro: Pont. c. 3. §. tertio probatur, & §. 2. nec potest intelligi, quomodo fundamentum (Papa) destruatur, &*

D

domus

domus (Ecclesia) non cadat. Atqui P̄otifex errare potest, testimonio DD. Papist̄ corum: Patrum Concilij Basileensis in Ep. synod. 3. Gersonis l. de potestate Ecclesiae: Alponsi à Castro l. 1. adu. har. c. 2. Innocentij 4. Pp. Arborei in Theosophicā: Genebrardi l. 4. Chronol. pag. 807. & pag. 553. Cosleri in Ench. c. 3. de pot. Pont. pag. 137.

Sed frustra es mī Gracza. Quod enim Bellarminius in tuā Majore ait, intelligendum est de Papa, quatenus Pastor & Doctor est totius Ecclesiae: seu quā definit aliquid Ecclesiæ credendum vel agendum circa bonos mores: Non autem quā privata & particularis persona est; ut sic enim si dicas errare eum posse & excidere ab Ecclesia, non adeò tecum contendemus: quamvis & hoc parum probabile videatur Bellarmino: l. eod. c. 6. cūm difficile appareat, quomodo fieri possit, ut Pontifex aliud sentiat, & aliud Ecclesiā doceat. Testes, quos adducis, loquuntur itidem de Pontifice vel ut est privata personā: vel prout definit aliquid solus, absque Concilio. Quod quidem est erroneum & proximum hæresi: hæreticum tamen hucusq; declaratum non est. Concilium Basileense illegitimum & jussu Pontificis dissolutum est, ideoq; in Concilio Lateranensi sub Leone X. celebrato sess. II. appellatur *Conciliabulum Schismaticum*, seditiosum & nullius autoritatis; potissimum circa summi Pontificis potestatem & exauthorationem. Proinde infirmum prorsus est, quod ex hoc Conciliabulo dicitur argumentum. Gilbertus Genebrardus cūm aliquos Pontifices Apostolicos appellat, non accusat, quod à fide defecerint: sed quod à priorum Pontificum moribus & sanctitate degenerārint infælici illo sæculo, uti scipsum explicat. Vnde non Apostatas, sed Apostaticos potius quām Apostolicos fuisse dixit. Quemadmodum verò Apostolicum esse minus quid est, quām Apostolum esse: ita Apostaticum esse, quām Apostamat. Alterum ejus testimonium l. 4. & pag. 553. à Gracza citatum non reperio. Deniq; vñus Genebrardus tanti non est, ut ipsum potius, quām tot alios Scriptores, qui sanius de Pontificibus loquuntur, audiamus. Gerson cum Alfonso Castrio censuit quidem Papam, cūm absque Concilio Generali quid decernit, errare posse; sed paucorum hæc opinio velut improbabilis & periculosa reiicitur ab alijs, communī sententiā contrarium evincentibus. Innocentius Papa tertius (non quartus, uti male exscripsit Adversarius) in tit. de suminā Trinit. nihil habet de hac materiā. Arboreum, dum afferit in Theosophiā suā Papam posse errare in fide & fieri hæreticum, non magnoperè impugnamus. Id enim plures alijs ex nostris senserunt, quemadmodum & Costerus noster in Enchiridio de summo Pontifice ita scribens: *Fatemur fieri posse, ut Petri successor Idola colat (quod B. Marcellinum semel fecisse legimus) apud se forte de fide non recte sentiat, adeoq; Diabolicis artibus operam navet, &c.* Sed id constanter negamus, Vicarios Chri-

sti,

sti, Petriq<sup>s</sup> successores, Romanos Pontifices, vel ha-  
rem proponere. Quæ posteriora verba Gracza, quia ipsi displicuerunt, more  
Hæreticorum, improbè subticuit. Neque interim puduit eum pauculos hos  
Scriptores, diversa sentientes, appellare consensum DD. Papisticorum. O e-  
gregium consensum! Cui si aliorum Doctorum, rectius nobiscum sentien-  
tium & loquentium, consensum opponerem, omnem auctoritatem facile  
detraherem.

3. Denique sic concludit : *Qui potest deficere à fide, ita ut Idola colat &*  
*Magicis artibus operam navet, &c. contra eum possunt portæ inferorum præva-*  
*lere. Atquî Pontifex Ro. potest deficere à fide ; quod patet ex Costero, Alphon-*  
*so de Castro, Genebrardo & alijs, E. contra Pontificem Ro: portæ inferorum præ-*  
*valere possunt, & consequenter etiam contra Ecclesiam. Sed responsio jam patet*  
*ex prædictis ; Posse errare Pontificem ut personam privatam : at non ut*  
*Pastorem & Doctorem Ecclesiæ vniuersalis ; falsa est igitur sequela ; quia ta-*  
*metsi portæ inferi prævaleant contra Papam ut personam privatam, non*  
*ideo prævalebunt contra Ecclesiam. Esto ille perire possit, perdere tamen*  
*Ecclesiam non potest. Vedit hanc solutionem Gracza ; sed id vnum ad extre-*  
*num respondet : Ad exceptionem, quod Papa possit errare ut privata persona*  
*vel alijs Doctor Ecclesiæ, non autem ut Papa, fusè alibi respondetur.*


Sed manum de tabula, Gracza : Fata vocant : Alibi, ut mones, tibi re-  
spondendum est, de hoc & alijs erroribus tuis, ad tribunal Dei. Longiorem  
quidem telam contra Ecclesiam Dei & Cath: veritatē texere proposueras, sed  
filum abscidere Parcæ : quæ hoc vno, meā sententiā, tibi pepercerunt, cùr  
scribenti calatum excusserunt, ne impio tuo labore graviores tibi pœ  
accumulare pergeres. Arietasti miser in Petram illam, quæ nullis infero  
viribus expugnari potest : arietâsti, inquam, & caput ipse tuum, non Ec-  
clesiæ confregisti. Quod alijs evénit, qui ante te hoc ausi sunt, tibi quoq.  
cudit. Qui non stat in hac Petrâ, cadit : qui non natat in hac Arcâ, n  
tur : mulrò magis, qui impugnat eam. Quâto consultius tibi fuisset i  
Petram inscendere, quâm venenata jacula frustâ intorquere? Sed he  
est : æternitas te rapuit ; cui sicuti pinxisti, ita æternūm vives.

Deus Opt. Max. cælesti suâ luce omnium à cælo deviantium oculo  
fundat, ut videant & intelligent, non esse aliam ad salutem viam, nisi p  
Ecclesiam Cath: quæ à suis incunabulis nunquam extincta, nunquam abscon-  
dita, per vniuersum mundum suos diffudit radios, ac velut Civitas  
supra montem, Lucerna supra candelabrum posita persti-  
tit in hunc diem, & persitabit usque ad  
vltimum.

F I N I S.

5  
Madame 93





Ung VI. 51

f



3

TA → d  
new 14 21 shield verlängert

Rheo  
V377



**Farbkarte #13**

B.I.G.	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
8									
7									
6									
5									
4									
3									
2									
1									
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9

# INDEX VINDI- CIARVM

DOCTRINÆ AGATHO-  
LICÆ,

*Quas contra Libellum Germanicum, sub  
titulo,*

*inderselbstante Abenthent/We/  
aus der Lutherischen Lehr erfolgen/  
evulgavit & disputationi propo-  
suit*

JOANNES GRACZA,  
Gymnasij Novisoliensis Director Luthe-  
ranus.

Dissertatio VI. & VII.

*Adjecta*

P. MATTHIA FABRO,  
SOCIETATIS JESU.

*Permissu Superiorum Impressum,*

INÆ AUSTRIÆ, Tvpis Matthæi Rictij,  
Typographi Academicci, Anno 1649.